

oppure quel *plausta inermi* della terz'ultima e penultima riga, che abbiamo senz'altro soppresso, attribuendone la presenza nel testo, piuttosto che a fenomenale ignoranza o distrazione, a un brutto scherzo dell'ammanuense.


Infarcire il testo di note per segnalare correzioni di questo genere, era più che inutile. Dove abbiamo potuto e saputo abbiamo senz'altro corretto. Ma dobbiamo dire che parecchi sono i passi dove i nostri sforzi sono rimasti inutili: li abbiamo lasciati tali quali al nostro amanuense è piaciuto fissarli.

Abbiamo poi, naturalmente, riportato all'ortografia moderna tutto il testo del poemetto, specialmente i nomi propri; e moderne ci siamo curati che fossero anche le interpunzioni.


Siamo tuttavia convinti di aver fatto opera tutt'altro che perfetta. Abituati a trattare e maneggiare ispidi ed irsuti testi medioevali, dobbiamo confessare di esserci trovati alquanto a disagio con gli artifici di questa politissima ed ornatissima latinità. Altri, più pratico di testi umanistici, avrebbe senza dubbio fornito un lavoro migliore. Ma a noi, nell'urgenza di mettere in luce e rivalutare il patrimonio ideale della Dalmazia, è parso di non dover ulteriormente lasciare inedito ed ignorato il poemetto.

SERENISSIMO PRINCIPI ET EXCELLENTISSIMO DOMINO D. IOANNI MOCENICO
INCLITO VENETIARUM DUCI ET DOMINO SUO ALOVISIUS CIPICUS

Ec tibi quidem, serenissime princeps, inter tot publicas et privatas occupationes carmen, legendi otium. Nec istius tui amplissimi imperii maiestas et summa rerum gestarum gloria eiuscmodi est ut aut litteris complecti possit aut vatum opera ulla ex parte indigeat. Quid enim illi amplius ad gloriae cumulum accedere potest, cuius incredibilis magnitudo et singularis animi moderatio tantusque omnium laudum ac virtutum concentus et concordia in oculis totius Italiae ac in auribus omnium gentium omniumque nationum obversetur, nec ulla sit tam remota barbaries cui Venetum nomen non sacrosanctum habeatur? Quo magis fit, vel rerum magnitudine a scribendo deterreantur, vel in ipsis principiis statim suscepto oneri scriptores succumbant et veluti quadam mole obruantur. Ceterum, gloriosissime princeps, cum felicissimi imperii tui auspiciis creverim, multaque eius et in patriam et privatim in familiam meam extent beneficia, non omnino absurdum putavi aliquid elucubrare quo animi mei summam erga rem publicam istam pietatem et observantiam testarer.



Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana, mss. lat. cl. XIV, n. 246, cc. 117.
 Alvise Cippico: Epistola al doge Giovanni Mocenigo (1482)



Venezia, Biblioteca Nazionale Marciana, mss. lat. cl. XIV, n. 246, cc. 118.
 Alvise Cippico: Panegirico al Senato di Venezia (1482)

Homo enim in litteris ac otio, educatus, quae potius quam litteraria munuscula offerrem? Non ea quidem magna sed certe ex maximo animi affectu deprompta. Scitum est enim vulgare illud adagium ex affluentia cordis os loqui. Accipies itaque, qua cetera soles humanitate, hunt quoque libellum nostrum in quo, ex maximis rei publicae tuae laudibus minimas, ex multis paucissimas, pro ingenii mediocritate poeticis figmentis depinximus; et praestita occasione, omnem hanc Ferrariensem expeditionem, quantum panegyrici angustiae patiebantur, inservimus, ea servata temperantia ut nec hostibus per contumeliam acrius insurrexerim. Non enim truces iambos in quemquam vibrabam, verum tamen singularem felicitatem tuam, summam honestatem ac iustissimas causas prosequebar; quod legenti facile ex ipso poemate constabit. Sed longiore videor mihi praefatione usus quam cum districtissimo principe deceat, satis superque felicem desiderii eventum habiturus si vel in solo legendō carmine quicquār tibi succisivi temporis dabit. Valeatur quam diutissime sibi ac rei publicae suae serenitas tua, cuius felicissimo nomini totum me devoveo.

Patavii, millesimo CCCCLXXXII, pridie Idus Decembris.

ALOYSII CIPICI IURISCONSULTI ET POETAE PANEGYRICUS IN SENATUM VENETIARUM

Vive diu felix et longurn cresce per aevum,
o sedes dilecta deo, nec gentibus ullis
iustitia sancti nec maiestate senatus
inferior, nulli totum cessura per orbem
seu pacem seu bella geras, et sola sub omni
eventu cervice pari, non fracta malignis,
non eadem fati rebus sublata secundis!
Quis tecum officio laetus certavit et idem
non meritis maiora tulit? quis Marte quietam
temptavit non ut longis captiva catenis
colla claret, sumptumque infausto numine ferrum
oderit et veniam supplex pacemque rogarit?
Quis subvexatus, inops, habitusque potentis
ludibrio infelix fortunam sortis iniquae
pertulit et victas doluit sub iudice leges?

Non cuiquam exitio congesta pecunia causam
praestitit et census misero nocuere paterni;
scilicet, aequato suspendunt ordine librae
ius cuiuscumque suum; nullo discriminе aguntur
foemina vir, iuvenis senior, cum paupere dives.
His tu firma manes, nullos experta tyrannos,
legibus; et pulchra sub libertate tot annis
laeta viges, populosque pari ratione gubernas.
Et tua longinquis protendis brachia terris,
atque hint Vindelicos montes, imasque relinquis
Rhaetorum latebras, illinc, progressa per omnes
Cycladas, Icarii qua spargitur unda profundi,
Laomedontei tangis confinia regni.
Sed quo non penetrat livor? quid linquit in ausu
invidiae tabes? Modo certa pace quietos
indueras vultus omnique ex parte nitebas
bellorum exuvias, stahant victricia passim
arma. Tollis non insidiaе, non tristia cordi
bella tibi. Quid enim vicinum crederet hostem,
aut latrias timuisset opes, quae sola furorem
barbaricum totiens et Turca represserat arma?
Haec tamen ipsa animos stimulis caecaque maligni
flamabant livoris acu. Mora nulla furori
praebetur. Latii coeunt in foedera reges;
omnibus hoc solum petitur caput. Una nefandi
Martis causa fuit: quod, fatis usa benignis,
pacem ageres felix, nullisque immota periclis
cervicem insereres coelo summumque teneres
imperii culmen. Latii spe credula falsa
corda fovent; nil tot iunctis obsistere regnis
posse putant; odium vires animosque ministrat;
desperant nihil et regni fiducia tollit
quemque sui. Furit in mediis lateque menaces
accendit Bellona faces et suscitat iras.
Ne tamen ipsorum non illaudabilis omni
parte foret rabies, et nulla labe careret,
accumulant sceleri scelus atque in crimina iungunt

maius adhuc crimen. Cunctis tanti esse tumultus
ductorem placet Alcidem, et poscit ultro
in Venetos qui quod regnet teneatque potenti
sceptra manu, atque ipsam ducat quod denique vitam
debet Venetis. O numquam magna deorum
supplicia ingratis hominum quaecumque parantur
ingeniis illis ut triplex Cerberus instet,
ut Titii subdantur ayes, Ixionis orbes
ut currant, ut Sisypheis sudata ferantur
saxa humeris, poenasque omnes Cocytus acervet
non dabitur meritis par poena, et crimina vincent!

Quis furor, infelix, aut quae tibi tanta deorum
implicuit caecam rabies caligine mentem
infunditque animo tenebras ut dira moveres
in dominos vexilla tuos? et tristia dulci
arma togae lituosque choris saevumque furorem
praeferens cultae tot iam per saecla quieti?
Num vanum Alcide nomen priscique labores
bisseneque animos implebit adorea fame,
an socer innumeros qui prata per Apula bellis
pascit equos? Et tot iurati in foedera reges
tranquillum urgebant stimulis pacemque negabant.

Non Venetum latuere doli nec conscientia fugit
tanti fama mali, sed protinus omnia cornplet
et falsum ingeminat velox per inertia vulgi
corda metum. Stant attonitae rumoribus cures
atque ingens tacita vestigant niente periculum:
depromunt clipeos et fidos protinus enses
expediunt, iamque et conos cervicibus aptant.
Ac veluti placidum segnis cum cymba per aequor
errat et ignavos dicit per caerulea remos,
temo labat sparsique volant sine lege rudentes,
vela notis immota iacent maloque cohaerent,
tristes ab implacido subitam si monte procellam
innuerint nubes aut luserit aequore delphin,
seu pecus Olenium sive aera turbet Orion,
redditur remis confestim et funibus ordo,

temo sua velumqua sua iam lege reguntur;
nec mora! stipantur proceres nulloque feruntur
ordine concilium ad magnum. Sententia cunctis
una sedet: segni non exspectanda sub umbra
Herculis arma feri, sed dum per amica liceret
numina ad hostiles ultro immittenda penates.
Hic, senior rerum et fandi cui summa potestas,
talibus inclamat dictis coelumque tuetur:
“Vos ego, vos testor, superi, quibus ordine fati
ingratos punire datum, si sumirnus arma
iusta parum sontes primique lacessimus hostem,
in nos adversam Mayors intorqueat hastam
et soror impulsas acies perturbet Clotho;
sin bellum inviti servimus saevumque coacti
induimus ferrum, successus nostra petitos
vota ferant: vincit qui causa vincat et armis!”.
Orantem favor insequitur, laetoque senatus
excipit assensu. Mox bello clara leguntur
corda duces, quales et postera nominet aetas
et veteres mirentur avi: prirnaeque Roberto
et Lauretano partes cessere secundae.
Belligeri iuvenes et centum quemque sequuntur
ductores, atavis et nobilitate parentum
clara acies, auro sonipes atque arduus auro
splendet eques, longeque micant splendentibus armis.
Spectaculum egregium! Nec hello segnus instat
turba minor. Tota passim discurritur urbe
invisique volant et longo quisque tumultu
certatim vult esse prior: cessisse pudori est.
Nulla quies populi: ferrum undique et undique ferrum
triste sonat, rutilant cristae gladiisque minaces
vibrantur, parilique rigant insuta metallo
scuta virum. Non bella pati dubiosque videntur
fortunae event us sed certae insistere praedae.
Par classes armat feritas et mille carinis
completur subito pelagus, pietà sque triremes
vix capit Hadriaci sedes immensa profundi.

Mirantur molem et varias ex ordine pinus
aequorei proceres, stat vultu caerulea Nais
attonito et virides ciet ad spectacula sorores.
Audit cornicines Triton suaque agmina laetus
inspicit et curvo sublimis provocat aere.

Ut coniuratas regum percrebuit aures
rumor et impulsas strinxit formidine mentes
tot lectos equites, tot saevas ire phalanges,
aequor classe tegi, findi clamoribus auras,
ingentes cecidere animi et decrescere visa est
spes tantis sublata odiis, coepitque sinistri
ante omnes piget Alciden tantumque furorem
in se cognoscit verti, praesagia fati
prodita dat pietas et mens sibi conscientia fraudis.

Interea firmat populos atque oppida cingit
turribus et longo circumdat moenia vallo
et veteres retegit fossas et flumina terris
immittit: ducit sparsas per prata paludes
ignarus iustae nil posse obsistere causae.
Illi iter ad Nomadum sedes et saeva patere
Caucasii per saxa poli, sub sidere montes
cedere praecipites, scopulos arere paludes.

Tu licet opponas coelum hostibus altaque pernix.
sidera concendas et te tuteris Olympi
obice. Vincetur scelus et succumbet honesto.
Et Venetus iam signa palam structasque cohortes
finibus Herculeis non parte admoverat una:
illinc longa phalanx tractus insederat omnes,
implebant hinc classe Padum. Ferus undique saevit
Bellipotens fusoque manus in sanguine miscet.

Fit fuga per populos passim: victoria solis
in pedibus. Non arma viris, non proelia cordi:
invasit mentes ultor deus, ille timorem
auget et insano pervertit cuncta tumultu.
Quis mihi nunc captas urbes aut oppida possit
dicere? cuive adeo vox pectore prodit aperto

qui fusas acies exarmatosque maniplos
et ductos per colla duces et nomina regum
non fessus tremulo per singula digerat ore
pro scelus aeternum? Desunt ad vincla catenae;
dum capit absumpta queritur de compede miles.

Et quamvis pateat tot caeca per atria carter
defecit stragemque suam dum clauditur hostis
prodidit et damno visa est infamia maior.

At ferus Alcides, stratis postquam agmina castris
fusa videt, caesasque adverso Marte catervas,
in se omnes pugnare deos, nil credit apertis
ulterius campis, avibusque illata reducit
signa malis, et iam solo sere obice claudit
Eridani. Spes una viro firmumque salutis
praesidium in fluvio est. Lato struit aggere ripas,
disponit rutilas per litora nota cohortes.

O fati mens caeca sui semperque latebra
tristis inexplicita! Quem non Felsinia pubes,
non Hetrusca manus, veteris non agmina Mantus,
non Umbri virtus equitis, non tanta potentum
arma ducum, totis et regna Insubra maniplis
defendere, vagus ripa tutabit amnis?

Nec minus et Venetus coeptum felicibus astris
urget opus. Non tristis hiems aut frigidus horror
tardat iter. Longas movet in certamina turmas,
parte vacat nulla, totusque fugacibus instat.
Et tandem Eridani consedit in aggere summo
adversasque acies totasque ex ordine vices
explicuit, stupuitque hostis tacitusque timorem
prodit et attonito suspiria pectore dicit.

Sic Iovis armigerum Paphie cum forte volucres
aspexere, pavent tacitae, pennisque reductis
terga premunt humerisque caput decline reponunt;
vix bene constiterant ripa flumenque tenebant
et iam praecipiti cursu per tela per hostes
decurrunt. Boat impulsus clamoribus aether
celaque convexi mutavit machina coeli.

Protinus Eridanum triplici – mirabile dictu! –
ponte secant geminaeque alacres discrimina ripae
utraque coniungunt atque ulteriora capessunt,
includuntque tuis hostem, Ferraria, muris
iam iam captivo subiturum vincula collo.
At pater Eridanus sinuoso ut forte sub antro
iura dabat nymphis et certo limite metas
ponebat, subito misceri murmure pulsas
sensit aquas, credit mundi compage soluta
antiquum redisse chaos, seu Dite recluso
Erigonas iterum concusso insurgere coelo,
territus accelerat summamque attolit in unda
canitiem. Musco barbam muscoque seniles
ornarat crines et glauca in veste nitebat.
Ut vero pontes tantamque in flumine molem
vidit et immixtas pediti discurrere turmas
qua naves ierant et se torpentia passum
iura soli percussus corda dolore,
coelum adit et tali compellit voce Tonantem:
“O summi rex magne poli qui mitibus undis
tellurique suas ponis, iustissime, leges,
quid praestat, quid iam summum mihi praestat in omnes
imperium fluvios et quod multi poplite flexo,
ipse quoque ingentes Tybris submittat habenas,
si stagnis vix digna fero vernisque pudenda
gurgitibus? si me domitum risere propinquui
torrentes? unum cumque indignatus Araxes
tres ego sustineo parvo discriminé pontes,
ac quid Hyperboreo labor felicior isto
aut gelido Tanai? En me quoque tarda bubulci
plaustra ineunt, en cornipedum captivus equorum
crebro calce notor, tot structis pervius alis.
Non hoc Teutonici rabies insana furoris
cum Latias invasit open, non Gallicus ausus
ille furor, non tot Geticaeque Hunnaeque phalanges
nil vetitum quamvis inconcessumque putarent.
Heu, solis humiles Venetis et gurgite vili

manamus, solis iungendi ponte videmur!”.
Cui pater aetherius placido sic ore profatur:

Mitte queri, non haec Venetus sine numine nostro
miles agit, nostris tam iusta in bella movetur
auspiciis, ipse et vires et tela ministro
siderea genti tantosque in proelia sumptus
sufficio. Non pro Veneto (sic venerit usus)
hoc iam triste manu fulmen torquere negabo
aeternosque armare deos et tota movere
agmina coelicolum. Quis enim hos aut legibus aequat
aut sancta pietate viros quis largius ornat
tempia deum? quibus in terris Astraea moratur
gratius et totum regnat tranquilla per annum?
Huic et perpetuam populo mea fata iuventam
promittunt et regnum novis crescentia regnis
accessura canunt. Illi et Tagus impiger olim
serviet et fulvas volvet Pactoios harenas.
Tu quoque iam ripa Venetus laberis utraque,
Eridane, et placidus terno iaetabere ponte.
Sic ait, assensu superi plausuque sequuntur,
verba Iovis sumpto Lachesis notat omnia freno.

PRONOSTICON

Quod pereant Latii tot eodem tempore reges
orbaque sint ducibus Itala regna suis.
Non astris casuve obeunt certissima divum
fata volunt Veneto nomine cuncta regi.
Regnum armis quod Roma suis in aura pararat
publica res iterum publica possideat.